

Necessarium quidem est, sed non Consequentia, verum Consequentis  
Necessitate, habet enim causam Necessariam, nempe Naturæ or-  
dinem à DEO sancitum &c. *Consequentia* verò *Necessitas*, non est ipsi-  
us rei Necessitas, quoniam ille sit in sua natura mutabilis & Contingens:  
Sed illius est Necessitas, quod ad rem illam positam sequitur;  
vel, quando Consequens non est Necessarium, nisi posito antece-  
dente; Si tamen tam antecedens quàm consequens, sunt in se contin-  
gentia. v.g. Si homo currit, movetur.

Quid de Calvinianorum delirio, impiâque in DEUM Opt.  
Max. sententiâ statuendum sit, qui propterea Necessariò Adamum  
lapsum esse dicunt, quia DEUS ipsum lapsurum longis antè seculis  
præscivit, quæstio nostra prima breviter edocebit. Nos nunc ad  
alios.

XI. Doctrinam *Necessarij*, necessaria *Contingentis theoria* rectè  
excipit, ut cui aptior adjungi vix posset comes. Prius verò quam  
Contingentis Definitionem & Divisionem contemplemur, ejus  
certitudinem prælibare & probare libet. Dari itaque *Contingentiam*,  
quid prolixa opus demonstratione? Ac probat illam 1. *ipsorum sen-  
sum iudicium & experientia* tum in Naturalibus, tum in hominum a-  
ctionibus. Videatur Sagitt. Cent. 3. axiom. Metaph. Dec. 3. ax. 4. Et-  
enim videmus & observamus, multa in rerum natura sic se habere,  
ut possint esse vel non esse, ac proinde fieri & non fieri. Quam re-  
rum evidentiam, & constans sensuum iudicium qui negatum ive-  
rit, è Philosophiæ pomarijs rectè excludendus censetur: Sive; ei  
modò a lapæ infligantur tres, modò decem, modò viginti, modò et-  
iam de scala deturbetur, & contingentiam esse & casum, credo,  
tandem concedet. Sagitt. l. alleg. Quid? imò suadente ita Scoto in 1.  
Sent. dist. 39. tormentis exponendus est & tam diu cruciandus, do-  
nec concedat, possibile esse se non torqueri. 2. Contingentiam esse  
res sublunares probant, quæ *διωάμεν ἀνθρώποις* præditæ sunt, ad  
esse & non esse. Vide excell. Dn. Præcept. nostrum Jacob. Martin.  
exer. Met. 5. th. II. Item, in Disp. Met. 10. quæst. 2. 3. Si denique li-  
bera est hominum voluntas, utique non potest negari contingen-  
tia. Ratio; quia liberè agere est modò hoc, modò aliud agere: Imò  
jam agere, mox non agere, quæ omnia sunt contingentia. At libera  
etiamnum est hominum voluntas, ut fusè docet Piccol. gr. 2. Phil.  
mor. c. 22. fol. 203.

XII. Du.